



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

velis, quod ipse cupit, nimirum humilitate clarescere.

10. Adverte, quod Ecclesiastes monet: *Noli esse justus multum.* Inquietus eris, si studeas eâ ratione justus esse, ut nunquam erres, nulla tibi incuria excidat. Hujusmodi vota, curæq; immodicæ, ut ut speciem boni habeant, pacem auferunt, animique tranquillitatem: atque adeo inde quietem tollis, unde speras obtinere: inde inficeris, unde laboras purificari.

DECAS II.

11. De fructu suo nihil deperdit, quem ab orandi studio avocant negotia, dum hæc vel obsequendi lege, vel pia necessitate, vel promovendæ salutis alienæ causâ suscipiuntur. Non deficit meritum, dum Deo obsequaris.

12. Minus obsunt contemplandi studio externa opera, quam internæ passiones: quin ipsa agentis vitæ exercitia, si iis affligatur animus, plurimum adjuvant studium divinorum. Mens enim per illa mortificata minora sentit impedimenta passionum.

13. Plus quærito Deum ipsum, quam blandi-

blanditias illius; neque ab oratione te divellat arida mentis infœunditas. Servendum Deo non gratiâ commodi, sed æstimatione dignitatis, quâ est, quod est. Sæpe gravius erraverunt à recto, quibus cœlum delicias depluit, quàm quos ficitas arefecit; & uti aiebat quidam Dei servus, Dæmonia solatorum subtilius nocent, quàm tribulationum.

14. Nullas delicias salubrius petieris, ac Crucem. Igitur pietatem non in eo colles, quòd lachrymis perfundaris, quòd solatiis abundes, quòd mente in Divina rapiaris. Præstat his omnibus firmus Dei amor, & sincera pro eo patiendi cupiditas. Ad altiora levando verticem, periclitaris: demittendo, securus es.

15. At nè propterea teneriores omnes affectus contempleris, eo obtentu, quòd indè non solidetur virtus: imò ubi teneritudo transierit, evanescat. Verum quidem id est; at mens quoque indè ad sanctiora trahitur, & viros novimus Deo charos ex eo capite magnopere profecisse.

16. Cùm cœlum delicias subduxerit, patienter sustine, neque ob id, quod potes
agere

agere intermitte. Multū poteris, ſi ſuſtineas imperturbatam illam mentis orbitatem, neque à ſtatu actionum tuarum penſo, aut conſveto virtutis ſtudio deſlexeris. Quantū enim hinc ſubtraxeris, tantū vires animæ diffluent, uti Samſoni robur corporis crinibus reſciſſis.

17. Orandi genus quærito, non quod ſublime eſt, ſed quod utile. Illam meliorem duco unde redis humilior, patientiâ inſtructus, in eventa cautus, in paſſionibus mortificatus: non hanc, in qua vel mentis intuitu occulta penetras, vel blandientium cogitationum dulcedine perſunderis.

18. Orandi facultas ut maximè pretioſa ſit, atque optabilis, præcellit illam heſus animus, & in pravas cupiditates fortiter inſurgens. Qui utrumq; conjunxerit omne tulit punctum.

19. Oratio, quam mortificatio deſtituit, aut orationis umbra eſt, aut mentis illuſio. Quantumcunque orationi te dederis, & ſacro commentandi ſtudio, nihil tibi proderit, niſi junxeris ſtudium te vincendi.

20. Ut

20. Ut uberiùs in te derives amorem
coelestium, exscinde affectum rerum per-
euntium. Felicitatis pars magna est, cordis
hospitium clausisse mundo, ut pateat uni
Deo. Beata illa societas! quâ abdicato
creaturarum usu in amicissimam transis
communione Creatoris.

DECAS III.

21. Quæstuosissimè negotiaris, si quid-
quid habes, unà abjicis, ut petitam com-
pares bonorum omnium iliadem. Prodi-
ge cuncta, quin & te ipsum exue, ut gratiâ
vestiaris, id est, insignibus Divinitatis.

22. Qui spiritu pauper, idem & opulen-
tus est: quia in Deo possidet omnes coeli
terræque divitias. Quid enim desit illi, qui
plùs habet, quàm cæteri omnes? qui suo
contentus nè quidem desiderio torquetur
habendi aliquid.

23. In te ipsum curas, & oculos conver-
te; neque cupias videre, quod non deceat
concupiscere. Renunciâsti mundo: faces-
sant ejus reliquiæ, & nec memineris te no-
visse. Sapientis est, cujus amorem depo-
sueris, etiam memoriam obliterare.

24. In bona æterna, licèt sensibus adhuc
remo-